


**Y** &  
2662

II. 80. F.

(cat. 2, S-17.)

*Jubila:*

1. Wernsdorff, progr. acad. ad inaugurat. auditorij majoris. Wthg. 1713. (De eo quo<sup>o</sup> Wittebergia habet quo peregrinos atticit.)
2. Ge Berger, Jo. Gfr., progr. acad. Wittenbg. 1725. (De salubritate Wittenbergae).
3. Auditorium - Wittenburgi et cognitae et patentes über Wittenburg. Brüf, Mag-Werffdag des Spülts, Reinigung des Ofens, Feuerküch der Pflegstaat. (Wthg. 1748).
4. Officium - Wittenburgi über den sozialen Wohlstand und Wittenbg. 1662.
5. G. Wittenburgius Rafffr. f. ist u. Hoffmann. - L. F. Hoffmann. Inauguratio. Wthg. 1749.
6. Catologus eorum qui ecclesiae Wittig. ab illucentsis evangelii tempore in Tempore parochiali operam locarent. Wthg. 1674.
7. Rectorum collegae lycii Wthg. gratul. C. Glo. Hofmanno (c. notis hinc. De plebanis ante Reformationem et post Reformat. in eccl. Wthg.) Wthg. 1746.
8. Boden, Beng. Gli. Laur. Vittebergia restituendo Lutheri templo florentio. Wthg. 1765.
9. Seitzer, Joh. Andree ad fin. Regnitum der Wittenbergi. Wittenburg. Pflej. (Nabg. Wav. 18. Zeugniss der Wittenberg. Pontificis et Lectoris). Wthg. 1702.
10. Fiedler, C. Gfr., Offizierwapp bei der Leibgardeburg. Sintz. August. 1694.
11. Bode, Beng. Gli. Laur., Parochialis Praesidium (Grafschaft) bei der Leibgardeburg St. Casper. 1626. 1763.
12. Gründung der Leibgardeburg Sintz. August. von den Grafschaften, den Prinzen, Herz. - 13. zu Bürgerschaft, Untergau zu in der Sintz. Vorstadt, den Herren der Elster - Fab. Freiburg. f. p. Wthg. 1769.
14. Lutheri, M., epigramma de fonte montis Teicheli ad Wittenbergiam. Wthg. 1699.



12.

Deo quid Vitembergia habet quo  
peregrinos alliat.

PRORECTOR  
ACADEMIAE VITEMBERGENSIS  
**GOTTLIEB  
VVERNSDORFIUS**

S. THEOL. DOCT. EIVSDEMQUE PROF. PVBL. TEM  
PLIOO. SS. AD ARCEM PRAEPOSITVS ET SAXO ELECTO  
RALIS CONSISTORII ECCLESIAST. ASSESSOR

CIVIBVS ACADEMICIS, ET  
LITERATIS OMNIBVS, AC LITE  
RARVM FAVORIBVS

S. P. D  
EOS DEM. QUE

AD INAVGVRATIONEM  
AVDITORII MAIORIS  
SOLENNEM  
HVMANITER, AC OFFICIOSE  
INVITAT



**R**Edimus tandem aliquando, quod felix faustumque sit, in sanctitatis, ac bonae mentis domicilium, nuper uetusitate collapsurum, et aliquo interuallo ab eruditorum coetu defertum, iam non solum, substructis molibus, fultum, acrefectum, sed etiam in pristinam faciem, splendoremque, restitutum, et cultu non minimo auctum. In quo cum pulpita, in medio extorta, oculis occurrant, quae CATHEDRAM LVTHERI loquantur, et librum apertum, inscriptumque, VERBO SOLO, tum os LVTHERI, ipsumque adeo CHRISTVM, cruci suffixum, adiectis uestibus, FIDE SOLA, ostendant, nemo superioris aetiam ignatus est, quin, non sterilem quandam, cuius poenituerit, Thraymachi, ac Secundi cathedral, neque Hippiae Elei, aut Scopeliani, aut Iarchae, Indorum sapientis, thronum, neque Hermagorae, ac Gorgiae sellam, neque Ammonii hemicyclum, aut alios Sophistarum puluillos, neque Thomae Aquinatis, quam ostentant Fundi, scholam, sed Eliae cuiusdam sedem, aut Athanasii, et Augustini suggestum, quaeri hic oportere, recordetur. Adeo non auctoritas hominis, neque opinionum commenta, per manus tradita, sed solem Dei Verbum facem, lumenque, religioni praeferre, non operis facti persuasio, sed Fides sola, eademque in Seruatoris, in crucem sublati, merito innixa, salutis consequenda iter praeshire debebat. Adeo Deo hominum, in praecipitia conuersorum, fortunam trilateranti, uisum erat, Lutherum, diuino afflato perculsum, inflammare, ut utrumque sine tergiuersatione traderet, atque in hoc demum loco uestitatem, erroribus inueteratis oppressam, propalam, et acriter, et herido proflus consilio, animoque, asserret, ac, re bene gesta, fortitudinis tropaeum, illo Miltiadis, in campo Marathonio, longe illustrius, excitaret. Etsi uero satetur Iacobus Tollus, praeclari nominis Belga, Vitembergam literarum studiorum, in primisque Luthero suo, esse clarissimam, tamen in hanc urbem, atque in hoc ipsum, quod memorauimus, Auditorium, in quo et Senem Theologum, tum praelegentem, audiuimus, ingressus quandam, negat, Vitembergam, quo peregrinos alliciat, quicquam, praeter famam nominis, habere. neque eo secius addit, locum ipsum, quippe satis amplum, et imaginibus exornatum pluribus, sibi perplacuisse. Cum autem non, ut Paullus, Athenas obiens, Aram, Deo Ignoto inscriptam, hic reperiret, sed memoriam Verbi coelestis, ab obliuione, corruptelaque, horum uindicati, non inani pictura, uerum manifestis expressam indicis, cerneret, cogitare religiosius debebat, quid, quantumque, diuinitus acceptum, quo inuitaret alienigenas, haec demum Academia haberet. VERBUM DOMINI AETERNUM est Davidi, atque Esiae. Hoc folium Regem, Deo carum, recreat, ac sustentat, ne angoribus confi-

2.

Hans Wittenberg.

14 Monate von. folio.

Abordnung d. ausländischen Lands  
besitzt.

B. 14. 2. 80. F.)

(ab. 2, S. 21.)



conticiatur. Ab hoc ipsis nostra pender. Quamdiu hoc fallere non  
potest, tamdiu nihil desperamus. Quoad haec rupes, altis defixa  
radicibus, omnes fortunae fluctus elidit, domus quoque nostra  
stat, hoc in faxo firmissime constituta. Diuinis his fortibus Fides,  
quae rationis modum excedit, docetur, ut, desperatis hominum  
rebus, in solius CHRISTI perpetientis aspectu, fiduciaque, acqui-  
escat. Hac mente ex compluribus diuinae paginae oraculis, quae,  
iussu Friderici Saxonis, conquerierat Spalatinus, hoc demum unum,  
VERBUM DOMINI MANET IN AETERNUM, selegit ille, idemque  
Symboli loco retinuit, et numis, perinde ac frater, successorque,  
Ioannes, expressit, Georgio quoque, Marchioni Brandenburgico,  
Philippo Hassiae Landgratio, qui primas horum uerborum literas,  
in Comitiis Spirensibus, satellitum manicis intertexuit, aliisque  
Principibus viris, probatum, sed Ducibus Saxoniae, ipsi quoque  
Ioanni Friderico, praeципue commendatum. Quare relinqui-  
mus uoluptariis Gargettii senis hortum, arrogantibus Zenonis  
porticum, quorum delicias, perinde ac disciplinam, oderat A-  
thenis Paulus, ambitiosis Academi filias, contentiosis Lyce-  
um, neque Theffala Tempe, quorum flores languescunt tan-  
dem, et marcent, requirimus, neque amoenitate Daphnes  
Antiochenae usque eo capitum, ut huius libidine, in omne  
licentiae genus effusa, corrumpi uelimus, ipsi quoque Baraou non  
solum uoluptatem, quam ex nostris imaginibus cepit, sed etiam  
Poeciles, statuis, simulacrisque, ornatae, iucunditatem non inuide-  
mus, neque ullis Belgii uiretis adeo oblectamur, quin Sionis, hic  
collocatae, iugis, Deique fontibus, uiua, nec turbida, aquaedun-  
dancibus, delectari malimus. Neque enim uel Vitembergæ diuini-  
nus munus, quam AETERNUM DEI VERBUM, tribui, uel illa ex-  
ternis gentibus ullum, quo aduocarentur, praestantius, optatiusque,  
quam hoc idem Verbum, impertire potuit, hoc, inquam, cum  
aliorum superstitione locorum contaminatum esset, primum hic e-  
mendatum, ac sine labe, integreque, conseruatum. Aduena ue-  
ro, conspecto Martini uultu, debebat, pro doctrina sua, Philippi  
quoque, communis Germaniae Praeceptoris, uel ipsis Batauis, ali-  
isque populis, etiam nunc culti, meminisse, et nosse, quantum Lu-  
thero religio, praeclare asserta, tantum Melanchthoni Doctrinam,  
ad pristinam laudem reuocatam, acceptum referre, sciscitando et-  
iam comperire, utramque, eadem aetate, in hoc eodem loco, fuisse  
traditam, defensam, ac per tot auditorum millia, ductasque alio co-  
lonias, quasi deductis a fonte riuiulis, propagatam, atque in omnes  
terrás distributam. Quod quidem docendi genus, ab illis heroicis ductum  
temporibus, apud polferos, autem glorie aemulos, nunquam obsoleuit, nec  
dum temporum iniuritate uitium fecit, neque ab iis duntaxat, quorum simu-  
lacta aspexit ille, expositum est, sed a multo pluribus, quos si ex fastis Aca-  
demie,

demiciis promeremus, quamplurimis, et insignibus semper doctoribus, flauisse Vitembergam, huncque, in quo et docuerunt, et disputatione, et uaria ingenii exempla prodiderunt, celebratum in primis, tritumque his uectigis, locum fuisse, confitare. Itaque rei fama, praestantiaque, excisi, nunquam defuerunt, qui frequentes ab ulmis Christiani Orbis finibus huc conmearent, qui hoc in augusto loco sanctae, et exquisitae omnis, disciplinae opes colligerent, aut scientiae, iam partae, specimina darent, aut, more institutoque majorum, hic ad summum Theologiae, Iurisprudentiae, ac Medicinae decus gradum sibi struerent, aut, quod largitur Philosophia, consequerentur. Tantum abest, ut nihil, praeter sterile solum, quod tamen neque ubertate, neque amoenitate, uacat, habeat Vitemberga, ut uel in hoc sanctissimi Templo ingenii omnibus diuinae, humanaeque, sapientiae copiis affluat, et fontes uberrimos, ac nullis aeuī cordibus inquinatos, recludat, ad quos combibendos magno semper studio delecti remotissimarum gentium cives confluxerunt, quibusque expleti, et honoribus cumulati, uel in sua quisque patria, uel apud alios populos, de sacris, reque publica, in diuersis uita muneribus, mereri non destiterunt. Atque hoc quidem Athenaeum cum festo ritu adire statuimus, non commentitio cuidam uel Apollini, uel Mercurii, neque Mineruae, falso creditae, sacrum facimus, sed Deum, omnis ueritatis, ac sapientiae auctorem, ueneramus, qui hic AETERVM VERBVM in lucem reuocauit, ac ueluti quandam humanae incolumentis Pharam hominibus, ne caligine circumfusi, errorumque fluctibus inuoluti, salutis naufragium facerent, clementer exultit, idem etiam, tam corruptis saeculi moribus, inuiolatum praestitit, cum eoque bona artes nobis sine detrimento seruauit. Hunc rite comprecabimur, ut integritiae uirtutis officinam, e qua tot, tamque praestantes, uiri prodierunt, antiqua existimatione inclutam, iam instauratam, excultamque, instauratae per maiores Religionis, et excultae doctrinae, sedem amplius esse uelit, in ea, hoc Seruatoris, a casu glorioius surgentis, auspiciatissimo tempore inaugura, doctorum animos, communium miseris temporum afflictos, exciter, eandemque, inter tot, tantisque, calamitosissimi aeuī aerumnas, coelesti ope iueatur. Nec uero Serenissimo, ac Potentissimo, Regi nostro obsequio, cultuque, quem parendi lex exigit, defuturi sumus, cuius gratia, et munificentia, inter tam arduas regni curas, hoc incorruptae disciplinae Sacrarium splendorem recuperauit, cuiusque sapientia, et praeudio, secundum Deum, adhuc effectum est, ut, in tantis aliarum gentium turbis, nos otium cum dignitate obtineremus. Defungemur etiam religione animi, qua Serenissimo, ac Regio, Principi, Spei, Desiderio que Patriae, et Rectori Academiae huius Magnificentissimo, tenemur, uotumque hic pro eius incolumentate, et, quo nihil optabilius est nobis, fortunatissimo in patriam redditu, suscipiemus. Quod quidem pietatis interpretandas munus perficit Doctor Theologus, Sacrorum Antistes, Ordinis sui Senior, ac Praeses, canitie, et meritis, uenerandus, CASPARVS LOESCHERVS, et Auditorium Theologicum, publica ceremonia inaugurandum, concinentibus inter lituos et tympana symphoniacis, graui, sanctaque, oratione dedicabir, et solemnii uotorum nuncupatione consecrabit. Vos, CIVES, a meridie, Hora III, celebri, quem et instituti sanctitas auspiciique ratio, et dicentis auctoritatis postulat, conuentu adeste, et Deo, ui Patriae, ui Academiae, ut inaugura huic loco, tam turbidis, formidolosisque his temporibus, auxilium praeferet, publica nobiscum uoce, quam potestis religiosissime, supplicate. P-P

Dom. Quasimodogeniti, A-R-G: c1515 cc XIII



Pou Yé 2662

40

✓



3  
Sb

v318

b17

n.c.





De eo quid Vitaeberga habet quo  
peregrinos atticit.

PRORECTOR  
ACADEMIAE VITEMBERGENSIS  
GOTTLOB  
VVERNSE

S· THEOL· DOCT· EIVSDE  
PLI OO· SS· AD ARCEM PRAE  
RALIS CONSISTORII EC

CIVIBVS ACA  
LITERATIS OMNI  
RARVM FA  
S. P.  
EOS DE  
AD INAVGV  
AVDITORI  
SOLEI  
HVMANITER.

